Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

pagere. His omnibus finitis uir dei et qui cum eo erant dederunt corporibus quietem usque ad terciam uigiliam noctis. Euigilans autem uir dei cepit suscitare fratres suos ad uigilias noctis sancte incipiens istum uersiculum. Domine labia mea aperies. Finita sententia uiri dei omnes aues alis et ore resonabant dicentes. Laudate dominum omnes angeli eius. laudate eum o. u. e. Similiter et ad uesperas per spacium hore semper cantabant. Cum aurora refulsisset ceperunt cantare. Et sit splendor domini dei nostri super nos. Equali modulatione et longitudine psallendi, sicut in matutinis laudibus. Similiter ad terciam horam istum dicebant uersiculum. psallite deo nostro psallite psallite regi nostro psallite sapienter. Ad sextam. Illumina domine uultum tuum super nos et miserere nostri. Ad nonam. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Ita die et nocte aues reddebant domino laudes. Igitur brandanus usque in octauam diem reficiebat fratres suos festiuitate paschali. Consummatis itaque diebus festis dixit. Accipiamus de isto fonte stipendia. qua usque modo non fuit nobis nisi ad manus et pedes lauare. His dictis ecce predictus uir cum quo antea fuerunt triduanum ante pascha. qui distribuit illis alimenta paschalia. uenit ad illos cum naui plena uictu et potu. Allatis omnibus de naui cum sancto patre locutus est ad illos idem uir dicens. Viri fratres hic habetis sufficienter usque ad diem sanctum pentecosten. et nolite bibere de hoc fonte. fortis namque est ad bibendum. Dicam uobis naturam eius. Quicumque bibit ex eo. statim irruet super eum sopor. nec euigilabit usque dum compleantur xxiiii hore. Accepta benedictione sancti patris reuersus est in locum suum. Brandanus autem mansit in eodem loco usque ad octauas pentecosten. et erat illorum refocillatio auium cantus. Die uero pentecostes cum sanctus uir cum suis famulis missam cantasset uenit illorum procurator portans omnia que ad opus diei festi necessaria erant. Cum autem discubuissent ad prandium. locutus est idem uir illis dicens. Restat uobis magnum iter. accipite de isto uestra uascula plena. et panes siccos quos potestis portare in alium annum. Ego uobis tribuam quantum possunt uestra uascula portare. Cumque autem hec perfinita erant accepta benedictione reuersus est in locum suum. Brandanus post tres dies fecit onerari nauim de omnibus que sibi tribuerat predictus uir. et de illo fonte omnia uascula impleri fecit. Ductis omnibus ad litus ecce predicta auis cito uolatu uenit et resedit super proram nauis. At uero uir dei cognouit quod aliquid sibi uoluit indicare. Tunc humana uoce ait predicta auis. Nobis

cum celebrabitis diem sanctum pasche et istud tempus preteritum quod in anno preterito fuit. Et ubi fuistis preterito anno in cena domini. ibi eritis in anno futuro in predicto die. Similiter noctem dominicam pasche celebrabitis ubi prius celebrastis super dorsum iasconii. Inuenietis quoque insulam post octo menses que uocatur insula albei. ibi celebrabitis natiuitatem domini. Cum hec dixisset auis reuersa est in locum suum. Fratres uero ceperunt extendere uela et nauigare in occeanum et aues cantabant quasi una uoce. Exaudi nos deus salutaris noster spes omnium finium terre et in mari longe. Igitur brandanus cum sua familia per equora occeani huc atque illuc agitabatur. et per tres menses nichil poterant uidere nisi celum et mare. Reficiebantur semper per biduanum atque triduanum. Quadam uero die apparuit illis insula non longe. Cum appropinquassent ad litus traxit illos uentus in partem. et ita per xl dies nauigabant per insule circuitum. nec poterant inuenire portum. Fratres uero qui in naui erant ceperunt dominum deprecari. cum fletu ut illis adiutorium prestaret. Vires enim eorum pre nimia lassitudine pene defecerunt. Cum autem permansissent in oratione per triduanum et in abstinentia apparuit portus angustus tantum unius nauis receptio. et apparuerunt illis duo fontes ibidem. unus turbidus et alter clarus. Porro fratres festinabant cum uasculis ad hauriendam aquam. Intuens illos uir dei ait. Filioli nolite peragere illicitam rem. sine licentia seniorum qui in hac insula commorantur. Tribuent namque uobis has aquas spontanee quas modo furtim uultis bibere. Igitur ascendentibus illis de naui et considerantibus quam partem ituri essent. occurrit eis senex nimie grauitatis capillis niueo colore et facie preclarus. Qui ter uicibus se ad terram prostrauit antequam oscularetur uirum dei. At uero sanctus brandanus et qui cum eo erant eleuauerunt eum a terra. et cum osculati se inuicem essent. tenuit manum eiusdem senis et ibat cum illo per spatium unius stadii ad monasterium. Tunc brandanus cum fratribus suis restitit ante portam monasterii et dixit seni. Cuius est istud monasterium aut quis preest ibi. Aut unde sunt qui commorantur illic. Ita pater diuersis sermonibus senem interrogabat et numquam poterat ab eo ullum responsum inuenire. sed tantum incredibili mansuetudine silentium insinuabat. Statim ut agnouit sanctus pater illius loci decretum fratres suos admonebat dicens. Custodite ora uestra a locutionibus ne polluantur isti fratres per uestram scurrilitatem. His dictis ecce fratres xi occurrerunt obuiam cum capsis et crucibus et ymnis dicentes istud capitulum. Surgite sancti de mansionibus uestris et proficiscimini ob